

arciorem viam aggredi et per angustam portam ingredi¹ sancta contentio^a coniunxit, sic et abundantia iniquitatis suo frigore paulatim disiungere quaerit, ut post se recedant atque propositi semel arrepti apostatae fiant, dum sint in eis, quos incauta adolescentia aut suspecta senectus revocat et retrahit ad praesumptionem peculiaritatis, quam suo vel parentum suorum voto reliquerant; (fol. 224) qui etiam ad maximam suae praevaricationis defensionem assumunt aliquot capitula² ex regula illa, quae dicitur canonicis ortatu Ludowici imperatoris a quo nescitur compilata, qui, quamdiu^b priorum patrum sententiis et vestigiis congregationes canonicorum informare et ducere curavit, facultates ecclesiae his tantum deberi praedicavit, qui amore perfectionis vel renuntiant simul omnibus, quae possident, vel soli cupiditati possidendi, si desunt alia, quibus renuntient; ubi autem vel suo vel alieno languori quasi condescendere voluit, a tramite sanctorum patrum nimium devius aberravit^c totumque, quod approbare videbatur, reprobavit et quod defendendum susceperat non solum impugnavit, sed, quantum in se fuerat, expugnavit. Quae capitula quia in praesentiarum habentur, placeat huic sancto vestro conventui, ut considerentur ac demum necessaria et congrua sententia super his proferatur, quatinus qui iam suo seu parentum voto deliberaverunt vel coeperunt in canonica congregatione sine aliqua proprietate vivere retro respicere caveant et qui manum³ in huiusmodi aratrum nondum miserunt quid observandum sit eis, postquam semel miserunt, ediscant. Simul quoque placeat sanctitati vestrae, ut recitetur professio illa, qua usque nunc in hac Romana urbe clerici, instar primitivae (fol. 224') ecclesiae communiter victuri, se ipsos obligare sunt soliti⁴, et, si confirmanda est, auctoritate vestra confirmetur vel, si corrigenda,

a) 'contentione' V. b) 'quandiu' corr. 'quādiu' V. c) 'ab-
irravit' V.

1) Cfr. Matth. 7, 13 sq. 2) Vgl. Inst. can. cc. 115. 116. 120.
3) Cfr. Luc. 9, 62. 4) Diese Formel findet sich in derselben Hs. fol. 31:
'Sicut regulariter sancitum tenetur, ego ill. trado atque offero me ipsum
catholicae ecclesiae ill. vel sanctae ill. et domno ill. praeposito secundum
regulam canonicam fideliter servitutum, palla altaris manibus involutis
cum oblatione (vgl. Reg. Bened. c. 59) mearumque rerum portionem
ad usum et sumptum fratrum canonicorum istic pro tempore instar pri-
mitivae ecclesiae Deo deservientium, ita ut ab hac die non liceat mihi col-
lum excutere de sub iugo regulae, sed magis eandem regulam fideliter
secundum instituta sanctorum patrum servare et Domino cum caeteris
grato animo militare. Et ut haec mea promissio firma permaneat, manu